

www.e-rara.ch

Theatrum orbis terrarum

Ortelius, Abraham

Antverpiae, 1603

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: T 33

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-92309>

Latium.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

L A T I V M.



LATIVM, quod Magnum, Pulchrum, & Hesperium cognominat summus poeta Virgilius, Prima Italia, ex descriptione D. Augusti (qui nempe eam, in vndecim, teste Plinio, diuisit) regio, duplex est. Latium enim Verus, & Latium Nouum nominatur. Verus à Tiberi, Cicaios (Fundos ait Seruius) vsque protendi: Nouum hinc ad Lirim fluuium: Plinius & Strabo auctores. immo vltèrius, iisdem testibus: Sinuessam enim, (quæ & Sinope) vsque, in adiecto vtpote Latio, vt idem Plinius hunc Tractum vltra Lirim (qui pars Campaniæ) nominat. qua de causa fortè Seruius hoc Latium ad Vulturum vsque fluuium extendit. Suntque huius Latij termini Tyrrhenum mare; Apenninus mons; Tiberis, Anio, & Liris, flumina. Gentes ambiunt Tusci, Sabini, Marfi, Samnites, Prægutiani, atque Campani. Nomen habere à verbo *lateo*, quòd nempe hic Saturnus latuerit, scribit Seruius: docet & ante hunc Herodianus, Eutropius, Cyprianus, Minutius Felix; & Poëta omnium suffragio maximus, quem audi,

*Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,
Arma Iouis fugiens, & regnis exul adeptis.
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis,*

*Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.*

Idem alius non minùs facundia quàm exilio nobilis, Iani dei verba referens:

*Multa quidem didici, sed cur naualis in ære
Altera signata est, altera forma biceps?
Noscere me duplici posses in imagine, dixit:
Ni vetus ipsa dies extenuasset opus.
Causa raris superest: Tuscum venit rate in amnem,
Ante pererrato salcisfer orbe Deus.*

*Hac ego Saturnum memini tellure receptum,
Calitibus regnis à Ioue pulsus erat.
Inde diu genti mansit Saturnia nomen:
Dicta quoque est Latium terra, latente Deo.
At bona posteritas puppim formauit in ære,
Hospitijs aduentum testificata Dei.*

Prudentius quoque aduersus Symmachum, de Saturno hæc,

*Num melius Saturnus auos rexisse Latinos
Creditur? edictis qui talibus informauit
Agrestes animos, & barbara corda virorum?
Sum Deus, aduenio fugiens, præbete latebras.*

*Occultate senem, nati feritate tyranni
Deiectum solio: placet hic fugitiuus, & exul,
Vi lateam, genti atque loco Latium dabo nomen*

Adeo vt cum Solino quis meritò interrogauerit, Quis nescit à Saturno Latium atque Saturniam dictam? Si cui autem hæc nimis fabulosa videantur, audiat Varronem his omnibus antiquiorem; qui ait sic vocatam, quòd lateat inter Alpium & Apennini præcipitia. at quæ Italia veteris alia regio non aequè lateat? Si ego anser strepere inter hos auderem olores, dicerem non à latendo, at à latitudine potius nomen obtinuisse. nulla enim alia totius vræ & præcæ Italia regio latiùs se inter mare & montes aspiciendâ præbet. testes huius consule tabulas geographicas. Sed maneat antiquitati suus honos, nec me vltimum Myforum, velim lectores, ne malè audiam, audient. Sunt qui putant (vt refert ad Ennij fragmenta Hieronymus Columna) Saturni nomen Syriacum esse, & ea lingua latentem significare: Vnde agrum Latinum quasi iustius nomen interpretantes, L A T I V M præsci illi vocauerunt. Incolas Latinos esse, auctorem Strabonem, omnesque Romanarum rerum scriptores habeo: à Latino nempe rege, *genus vnde*, vt inquit Poëta, *Latinum*. Latinienses etiam quosdam eius habet Plinius: sed quos interuillè addit. Illos præscos olim dictos ab Halicarnasseo & Festo didici. De regionis natura hæc Strabo 5. Totum Latium felix est, & omnium rerum ferax, demptis paucis quibusdam locis maritimis, quæ palustria & morbosa. vt Ardeatium ager, & quod est inter Antium & Lauinium, vsque ad Pomeriam, & Setini agri quædam; ac circa Tarracinam & Circeium: tum si qua sunt montosa & saxosa. quamquam ne hæc quidem ociosa aut inutilia sunt: cum vel pascua copiosa & siluas habent, aut fructus palustres montanosve proferunt. Cæcubum quidem locus palustris vitem arboream alit, cuius vinum est præstantissimum. Audi quoque Theophrastum 5. Hist. Plantar. cap. 9. Latinus ager aquis totus abundat. & plana laurum myrumque habent: scissimamque mirabilem: (oxeamque, Fagus Latinus vocat) tanta eius longitudine cæditur, vt pro carina Etruscis nauibus possit sufficere. Montuosa pinum & abietem ferunt. Latiniensia vina celebrat Plinius. & idem horum cibum primum far fuisse, & pulte, non pane vixisse longo tempore Romanos, manifestum scribit. Quàm culta hæc regio, quot vrbibus populisque habitata, idem testatur; vbi ait in Latio tantum Antiquo L I I I. populos interuillè, sine vestigijs. & Pomptinam paludem (huius regionis quoque partem) olim x x I I I. vrbium fuisse. Inter veteris Latij vrbes Alba Longa quondam caput fuit: postea Roma: at hæc non tantum huius, sed & Orbis terrarum. Cuius alterum nomen, quia arcanis carimoniarum dicere nefas habetur, minimè, ne cum Val. Sorano pœna luam, enunciabo, eiusque verò cognomina epithetaque quibus hæc à clarissimis omnium gentium scriptoribus decorata fuerit, hic enumerare, mihi licitum ab æquo iudice non diffido.

AEQVAVAPOLO dicitur Claudiano.

AETERNA, Ammiano, Tibullo, Aufonio, lapidib. & nummis.

ALTA, Virgilio.

ALTRIX IMPERII, Corippo.

ALTRIX ORBIS, Rutilio.

ANTIQA, Prudentio, & Corippo.

ARX OMNIUM Gentium, Nazario.

ARX TERRARVM, Symmacho.

AVGUSTA, Corippo.

AVREA, Aufonio & Prudentio.

BEATA NOBILIBVS POPVLIS, Cæsiodoro.

BELLATRIX, Ouidio, Claudiano, & Sidonio.

CAPVT GENTIVM, Martiano.

CAPVT IMMENSI ORBIS, Ouidio.

CAPVT MVNDI, Cæsiodoro, & Sidonio.

CAPVT ORBIS, Plinio, Trogo, Ouidio, Gratio, Fortunato, Aethico, & Prudentio.

CAPVT RERVVM, Liuius, Ouidio, Aufonio, & Tacito.

CÆLESTIS, Athenæo.

CELEBERRIMA, Statio.

CELSA, Prudentio.

CLARISSIMA, Διασημοτατος, Stephano.

DARDANIA, Ouidio & Silio.

DEA *Θεα*, Nummis.

DEA GENTIVM, Martiali.

DEA TERRARVM, Martiali.

DESIDERABILIS, Eustathio, & Dionysio Afro.

DEVM LOCVS, Ouidio.

DIGNITATVM CVRIA, Sidonio.

DITISSIMA, Prudentio.

DOMINA, Arnobio, Ouidio, Horatio, & Nemesiano.

DOMINA GENTIVM, Eumenio.

DOMINA RERVVM, Appiano, Eunapio, & Aufonio.

DOMINA TERRARVM, Ammiano.

DOMINA TERRÆ MARISQUE, Halicarnasseo.

DOMINA TOTIVS MVNDI, Aethico.

DOMINA VNIVERSORVM, Halicarnasseo.

DOMINANS, Silio.

DOMVS AVREA, Aufonio.

DOMVS DIVVM, Aufonio.

DOMVS MAGNA REGVM, Dionysio Afro, & Eustathio.

DOMVS QYIRINI, Aufonio.

ELOQVENTIÆ FECVNDATA MATER, Cæsiodoro.

EXCELSA, Lucano.

FELIX, Propertio, Cæsiodoro, ex Lapide antiquo.

FEROX, Horatio.

FVTVRA, Rutilio.

GENITRIX HOMINVM ET DEORVM, Rutilio.

GENITRIX REGVM, Prisciano.

GYMNASIVM LITTERARVM, Sidonio.

IMMENSATA, Statio.

IMPERII LAR, Ammiano.

IMPERII LATIALE caput, Statio.

IMPERII DEVMQUE LOCVS, Ouidio.

INCLITA, Virgilio, Ennio, & Aufonio.

INVICTA, Nummo antiquo.

LATA, Ouidio.

LATII PARENS, Aufonio.

LEGVM DOMICILIVM, Sidonio.

LEGVM PATRIA, Codici Iustini.

LIBERTATIS PARENS, Corippo.

LUX ORBIS TERRARVM, Ciceroni.

MAGNA, Virgilio, Horatio, Calpurnio Siculo, Non-Marcello, Ouidio, & Claudiano.

MARTIA, Ouidio & Aufonio.

MARTIGENA, Silio.

MARTIS VRBS, Martiali.

MATER CIVITATVM, Ennodio.

MATER DVCVM, Claudiano.

MATER DIGNITATVM, Cæsiodoro.

MATER ELOQVENTIÆ, Cæsiodoro.

MATER MVNDI, Rutilio.

MATER OMNIUM VRBIVM, Dionysio Afro, & Eustathio.

MATER REGVM, Claudiano.

MAXIMA RERVVM, Virgilio.

MVNDI MIRACVLVM, Cæsiodoro.

MVNDI TOTIVS TEMPLVM, Ammiano.

NYMINIS INSTAR, Lucano.

OFFICINA ORBIS, Seneca.

ORBIS CAPVT, Ouidio.

ORNATA SENATORIBVS, Cæsiodoro.

PATRIA COMMVNIS, Modestino.

PATRIA GENTIVM, Plinio.

PATRIA LIBERTATIS, Sidonio.

POTENS, Horatio, Aufonio, Paulino, & Ouidio.

PRÆPOTENS, Nazario.

PRIMA TERRARVM, Paulino.

PRIMA INTER VRBES, Aufonio.

PRINCEPS VRBIVM, Horatio.

PVLCHERRIMA, Virgilio.

PVLCHERRIMA RERVVM, Virgilio.

PVLCHRA, Athenæo, & Ouidio.

QYIRINI VRBS, Ouidio.

REGIA, Horatio.

REGINA, Athenæo, & Ammiano.

REGINA

REGINA PVLCHERRIMA MVNDI, Rutilio.
 REGINA RERVM, Eunapio.
 REGINA TERRAR. Ammiano & Nazario.
 REGINA VRBIVM. Athenæo,
 ROMVLEA, Ouidio.
 SACERDOTII FONS, Codici Iust.
 SACRA, Aufonio, Mamertino, Lapid, &
 Æthico.
 SACRATISSIMA VRBS, Codici.

SATVRNIA, Ouidio.
 SEDES TOTO MIRABILIS ORBE, Casiodoro.
 SEPTEMGEMINA, Statio.
 SVPERBA, Aufonio.
 TEMPLVM BELLI COSI MARTIS, Plutarcho.
 TEMPLVM LATISS. OMNIYM VIRTVTVM, Casiodoro.
 TEMPLVM MVNDI, Ammiano.
 TROIIVGENA, Liuiio.

TVRBIDA, Iuuenali.
 VALLATA, Silio.
 VENERABILIS, Ammiano.
 VERTEX MVNDI, Sidonio.
 VICTRIX, Ouidio.
 VICTVRA CVM SÆCVLEIS, Ammiano.
 VIRTVTVM LAR, Ammiano.
 VRANOPOLIS, Athenæo.

Hæc & plura huius generis elogia apud clasicos scriptores de hac Vrbe, Cui par est nihil secundum: vt Martialis, & Qua nihil in terris complectitur altius ather, vt Claudianus cecinit, & auctore Martiano Gentium caput, armis, viris sacrisque quamdiu vigit califeri laudibus conferenda. Cuius mœnia, vt habet in Excerptis Olympiodorus ex Ammonis geometræ dimensione, quo tempore Gothi priore illam incursione infestauerunt, viginti & vnus milliarius spatium in circuitu habere comperta sunt. Hanc ampliassè ita Aurelianus Imp. tradit Vopiscus, vt quinquaginta propè millia murorum eius ambitus teneat. De Arpino Ciceronis patria (quia in hac quoque tabula) non omittere visum quod Volaterranus annotauit, eam nempe in signis suis ferre has tres litteras, M. T. C. Circeium montem, quia seorsim in hac tabula delineatus, peculiari quoque descriptione enarrare operæ pretium duximus.

C I R C Æ I V S M O N S.



IRCEIYM hunc vocant Plinius & Pomponius: Circeum Κίρκαιος Strabo & Ptolemæus: CIRCÆIYM antiqua inscriptio in hoc ipso à Circe vt perhibent veteres, hic habitante. Inde Circes domum nominant Mela & Solinus, item Ouidius. sic quoque Appollonius Κίρκης μεγαρον. & idem Ææa portū Κίρκης λιμένα. ÆÆÆM quoque Virgilius tribus diphthongis, vt annotauit Seruius. sic dicta ab aspernantium voce, inquit, propter celebratas illic corporum mutationes. Insulam hanc olim fuisse, & circumstam immenso mari, nunc æuo neçtente addita continenti, vt tradit Solinus. De eadem Plinij hæc verba, immenso quidem mari circumdata (vt creditur Homero) at nunc planicie. An fabulosus hic Homerus? sic videtur Procopio 1. Gothorum, vbi ita, Christoph. Persona interprete, Mons Circeius vbi Vlysem fuerunt cum Circe versatum, sed vt equidem reor, non vera fatentur: ni fortè hunc montem insulam esse idcirco quis dixerit, quia in mare ingenti tractu porrigitur. & c. & quamuis Homerus hic suffragatores tamquam fabulosæ antiquitatis nimios adultores inuenerit Theophrastum in Hist. Plant. & Seruium ad Æneid. Procopio tamen quod quodammodo adfentiar, facit, quod videam ex doctissimi Causaboni ad Strabonem obseruatione, insulas & promontoria sæpius apud geographos confundi: ita quod alius promontorium, alius insulam aut peninsulam appeller. Strabonis itaque huius descriptionem omnium aliorum tamquam veriorè prætulerim ego, quæ Xylandri verbis hæc, Circeus mons quem mare & paludes tantum non insulam faciunt. Que quoque de Circes veneficæ magia, hominumque in varias formas fabulosæ transmutatione à poëtis narrantur, naturæ potiùs quàm magiæ, cum Seruio interpretauerim. ab horrore nempe transeuntium, quo videbantur homines mutari in feras. atque cum Plinio dicam, Quid non repleuere fabulis Colchis Medea, aliæque, imprimis Itala Circe? Absitque à me & ab omni homine Christiano, credere quæ credere nefas. lego enim in Ancyrano concilio paganis & infidelibus esse peiores, qui credunt creaturam in aliam speciem aut similitudinè, quàm ab ipso creatore posse transformari. Dicant itaque alij omnes quidquid velint, mihi quamuis persuaserint non persuadebunt. Fabulam autem ex loci natura qualitateque natam verisimile. Solent enim in mare prominentia, vt hoc promontorium, plus aliis, ventorum flatibus esse obnoxia, qui dum æstuosi maris fluxu refluxuque comitati, in horum scopulos cauernasque impingunt, varios adeo causare sonos strepitusque, vt præternavigantes (non citra horrorem) vnà homines gemere, leones rugire, lupos ululare, canes latrare, fues grunnire, & vrsos murmurare, audire videantur. Verba huc faciunt Lucani 6. Omnia subducit Circeæ vela procella. Hoc promontorium frequentissimum esse arborum, atque robore, lauro mirtoque maiori ex parte scaterere, scribit ex auditu. Theophrastus. Radicibus eum abundare, ait Strabo. fortassis (quemadmodum addit) vt fabulæ de Circe accommodent. An inde fortè quoque Aristotelis in Admirandis, hoc? In Circeio monte lethale venenum nasci aiunt, tanta vi, vt sumptum, mox pilis corpus totum nudet, ac soluat ad eò membro cuncta, vt velut liquefcentia cadauerum speciem miserabilem tota superficie præbeant. Sacram Mineræ aram in hoc monte esse, scribit Strabo. etiam ibidem ostendi Vlysis quandam pateram. at ex vulgi opinione hoc vltimum. Sed relictis fabulis, ad historiam redeamus. Ostreis Circeis generosis fertile huius mare, scriptum reliquit Horatius. M. Lepidum ab Augusto in perpetuum in hoc monte relegatum, Suetonius. Tiberim statim infra Urbem profundo alueo intercipere, atque ad hunc Circeium auertere, inque mare quod apud Anxur est deducere, constituisse Cæsarem, scribit Plutarchus. qua re & faciliorem & turioem mercaturæ causa Romam petentibus nauigationem, machinatū fuisse, morte autem præuentum, minimè præstitisse. Fuit hic quoque vrbs Circeia siue Circeia, aut vt Strabo vocat, Circes opidum. Romanorum coloniam factam à Tarquinio, auctores Liuium, Halicarnasseum, Ciceronem, & Plutarchum habeo. portu præditam, tradit Strabo. Huius veteris Circeiæ vestigia putauerim extare eo loco quo in huius delineatione murorum ruina: quibus hodie nomen, *Citta vecchia*. quasi Ciuitas vetus. Huius nominis reliquias hæctenus superesse in hac eadem montis superficie sculptas, testis est mihi fide dignus huius topographiæ auctor Angelus Breuentanus rei antiquariæ Romanæ diligens indagator, sed mancas & vetustate erosas. hac nempe formula,

PROMONTORIUM VENERIS
 // // // // // // // // // // // // // // // //
 C I R C Æ I E N S I V M // // // //
 // // // // // // // // // // X X I // //

Credit dictus Breuentanus hac inscriptione indicatam huius loci ab Vrbe distantiam. Exstatque eo montis loco, quo hanc notam stellulæ ✱ depictam vides.



In gratiam antiquitatis Romanæ studiosorum libuit æreorum numismatum nostrorum clypea subiungere: quia testes quodammodo eorum quæ superius ex Virgilio, Ouidio, Prudentioque huc adduximus. Tum etiam quod horum 1. Saturnal. Macrobius meminit, his verbis, Ianus cum Saturnum classe peruectum excepisset hospitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, serum illum, & rudè ante fruges cognitum victum in melius redegisset, regni eum societate muneravit. Cum primus quoque ara signaret, seruauit & in hoc Saturni reuerentiam, vt quoniam ille nauis fuerat aduectus, ex vna quidem parte sui capitis effigies, ex altera vero nauis exprimeretur, quò Saturni memoriam etiam in posteros propagaret. Æs itaque fuisse signatum, hodieque intelligitur in alex. lusu, cum pueri denarios in sublime iactantes, capita aut nauim, lusu teste vetustatis, exclamant. & c.